



**Ecclesiasticae Historiae, Et Dicta, Inprimis Memorabilia,
Christi, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Doctorum,
& hostium veteris Ecclesie: singulari iudicio, & pio studio,
ex Eusebio Cæsariensi ...**

Eusebius <Caesariensis>

Haer. Chr. Egen., 1571

VD16 E 4284

69. Paphnvtivs Martyr ad Maximum Episcopum Hierosolymitanum
sedentem in concilio Tyrino, conuocato contra Athanasium, quorum vtri
que oculus effossus & poples succisus fuit propter confessionem veræ ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69335](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69335)

Hinc Constantina synodus renouatur in vrbe,
 Arius hic fœda morte scelestus obit.
 Quo statuere die patres cognoscere dogma,
 Quod Sathanas Stygio protulit ipse lacu,
 Fundit Alexander præsul venerandus in vrbe,
 Ad Dominum tota nocte dieq; preces.
 Dogmatis autorem blasphemum vt tollat ab orbe,
 Afferat & laudes nominis ipse sui.
 Præsulis exaudit Dominus pia vota precesq;
 Autorem tetri dogmatis atq; necat.
 Namcùm manè petit synodum blasphemus, in ipsa
 Ilia cœperunt fœda dolere via.
 Cùm dolor augetur, comites rogat, vt sibi mon-
 Qua saturi possit ponere ventris onus. (strent
 Arius hic ventris cum stercore viscera fundit,
 Arius infelix exta cacando perit.
 Viscera vt effudit Iudas suspensus ab alto,
 Qui Domini fuerat proditor ipse sui.
 Sic pereant omnes, animas cum stercore flantes,
 Qui tale in Christum spargere dogma solent.

69. PAPHNVTIVS MARTYR
 ad Maximum Episcopum Hierosolymita-
 tanum sedentem in concilio Tyrino, con-
 uocato contra Athanasium, quorum vtri-
 que oculus effossus & poples succisus
 fuit propter confessionem veræ
 doctrinæ, de diuinitate filij
 Dei. Cap. 17. F

Anno
Christi
345.

Cum synodum Tyria celebrat Constantius vrbe,
Imperij Caesar, dogmata falsa fouens:
Maximus excelsa Solymorum praesul in vrbe
Martyras & Christi maximus inter erat.
Huic oculum euellit dextrum, poplitemque tyrannus
Succidit, propter dogmata vera Dei.
Hunc vbi conspexit sanctus Paphnutius, idem
Qui Christum propter lumine cassus erat:
Insilit in caetum supplex, turbamque malignam,
Acclamans sancto talia verba seni:

70. VERBA PAPHNVTII
ad Maximum.

TE Maxime, cum quo mihi vnum atque
idem confessionis insigne est, cum quo
mihi pariter mortale lumen effossum,
clariorem diuini luminis conciliauit aspe-
ctum. Te, inquam, non patiar sedere in concilio
malignantium, & cum iniqua agentibus
introire.

Anno
Christi
345.

Maxime, quem fidei iungunt insignia nostrae,
Corpora quae simili stigmate bina notant.
Cui lumen mecum pariter mortale reuulsum est,
Clarius aet Domini mens tua lumen habet.
Non te concilio patiar residere malorum,
Qui mala consilijs facta probare student.

Hæc